



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De disciplina morum. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)



cauet ne vel obolum superfluè effundat supra  
quàm necesse sit. Sic etiam religiosus cordis  
sui thesaurum abscondit, rarò loquendo, & ni-  
si pro necessaria causa vel utili os ad loquen-  
dum aperit. & quod cum paucioribus verbis  
potest expedire prout sufficit, ad hoc plura su-  
perfluè non effundat. Quadruplex autem bo-  
num ex hoc ei proueniet: quia cauebit pecca-  
tum multiloquij vel vaniloquij: intellectus  
eius interiùs magis profundabitur & sublima-  
bitur, sicut aqua conclusa, quæ non habet exi-  
tum per quem effluat, crescit in altum: item  
quod loquitur apud homines magis habetur  
autenticum, cum sciant eum cum maturitate  
loqui, & non leuiter effundere verba sua: item  
singularem gloriam meretur in celo.

*De disciplina morum.*

CAP. XI.

**M**ORVM disciplina in religiosis triplici  
colore decoratur: si sunt maturi, humi-  
les, & benigni. Maturi, vt nō sint leues ad cur-  
rendum, nec prouisi ad risum, vel curiosi, vel  
verbosi, nec ioculatores. Maturitas intus men-  
tem componit, & totum corpus exteriùs ab  
insolentia custodit. Caput regit ne leuiter hinc  
inde circumferatur, oculos ne vagentur, aures  
ne curiose auscultent quæ minùs expediunt,  
linguã refrænât ab otiosis & infructuosis ver-  
bis, manus ab inutilibus occupationibus: pe-  
des à vanis deambulationibus & indecenti-  
bus diuaticationibus, & totum corpus ab in-  
quieto motu cohibet, nisi secundùm quod ra-  
tio exposcit. Vnde beatus Bernardus scribens  
de beato Malachia Episcopo, commēdat eum,  
quòd ita compositus fuit in moribus, quòd  
nec manū, nec oculum, vel aliquod mēbrum

Maturitas  
corpus &  
mentem  
cōponit.

In vita S.  
Malachia,  
cap. Ascensio  
di.

Q 2

leui-



leuiter mouebat aliquando, nisi secundum quod ratio vel causa dictabat. ut nil apparet in eo, quod posset offendere intuentes, totum corpus in eo disciplinatum fuit.] Humilitas motum deprimit ceruicem, humile format responsum, gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter nouissimos locat, ostentationis declinat notam, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem se facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad descendendum, difficilem ad indignandum. Benignitas facit amabilem & compassionem afflictis, tractabilem & exorabilem, & flexibilem ad consilia, communicatum sui & suorum, in bono hilarem, & modestum & iucundum, fidelem & sociale, nullum spernentem vel temere iudicantem, gratum, beneficium, omnibus gratiosum. Humilitas temperat grauitate, ne fastuosa & elata videatur. Benignitas facit, ne austeram & dedignantem putetur. Ecce contra, maturitas temperat benignitatem, ne leuis & carnaliter blandiens, vel adulatorie applaudens aestimetur. Temperat humilitatem ne nimis abiecta, vel affectata reputetur. Humilitas reddit imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem.

*De cordis compositione.*

CAP. XII.

**E**XTERIORIBVS ordinatis in actione, locutione, & moribus: ut ad veram & de caelo allatam quadraturam spiritualis normae, sacrae disciplinae, tanquam viui lapides & in templo veri Salomonis locandi, disponi valeamus, de cordis dispositione & mentis bonitate aliqua proponamus: quia teste Salomone, Psalm. 4, 23 omni custodia seruandum est cor, sicut ex quo  
vita